FRANCISCI LECHARRON PARISINI,

Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Prothonotarij, Iuris vtriuſq; Licentiati, Inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Canonici, & Archidiaconi de Ioſayo, Prioratus de Maintenæo Prioris, & Oratoris ad Summum Pontificem Regij.

ORATIO.

AD S. D. N. PAVLVM V. PONT. OPT. MAX.

PRO

LVDOVICO XIII. FRANCIAE, ET NAVARRAE REGE CHRISTIANISSIMO.

Habita anno M D C X V.

CVM ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS
ALEXANDER VINDOCINENSIS
EQVES FORTISSIMVS
Regis nomine obedientiam S.D.N. præſtaret.



ROMAE, Ex Typographia Gulielmi Facciotti. 1615.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſsimi P.M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

Imprimatur. Fr. Gregorius Donatus Romanus Reuerendiſsimi P. F. Hyacinti Petronij Sac. Palatij Apoſtolici Magiſtri Socius, Ordinis Prædicatorum.

CLARISSIMO VIRO NICOLAO DE NEVFVILLE EQVITI, MARCHIONI AC DOMINO DE VILLEROY.

In Conſilio Regis Chriſtianiſsimi Senatori Primario Primoque Regiorum mandatorum Secretario Franciſcus Lecharron. S.P.

COGITANTI mihi (vir clariſsime) quod tuum familiæ noſtræ, vel tuendæ, vel etiam augendæ ſtudium ſemper extitit, dolor neſcio quis ſubit, quod non reperiam quibus illa tua in nos beneficia, ac promerita poſſim rependere. Non enim aut mediocra ſunt, aut obſcura, aut eiuſmodi vt ſilentio poſsint præteriri, aut vulgaribus verbis debeant commemorari. Nam re ipſa gratiam referri tibi nec tu cupis, nec noſtrarum virium eſt. Patere ergo quia referre non licet, verbis ſaltem tibi gratias agi, & eas quidem immortales. Abſit vero vt illorum vlla temporis diuturnitate nos capiat obliuio. Ea in te virtus eſt, & ſapientia, ea in patriam pietas, in omnes munificentia iuuandiq; ſtudium, vt nefas ſit ea non exquitiſsimis verbis dilaudare. Quis amabò in hoc Regno cui plus patria de-

beat, cuiq; plus deferebat Rex noſter piæ memoriæ quā tibi? cui magis cognita Reſp.? in cuius pectore Senatus Franciæ omneq; conſilium Regni arcanum concluſum eſt? Tu arcanorum, conſiliorumq; omnium promus condus es. Tuo conſilio, & fauore à Rege Chriſtianiſsimo nomine Illuſtriſsimi Principis Alexandri Vindocinenſis, Equitis nobiliſsimi, ad Paulum Quintum Summum Pontificem Legati orator datus ſum, orationem habitam in ſacro Conciſtorio vt in lucem ederem amici rogarunt, victus precibus eam de manibus exire paſſus ſum. Malui enim ſtudijs amicorum obſequendo, deſiderari prudentiam meam, quam ſi id eis negaſſem beneuolētiam. Scio quā ſit difficile omnibus placere, quam facile in reprehenſionem multorum incurrere. At omnem hunc metum (vir clariſsime) vnus ex animo excuſsiſti, tuo nomine, & commendatione hoc quicquid eſt ad laudem Regis noſtri Chriſtianiſsimi omnium limina ſalutabit. Tu enim is es qui vt hanc Prouinciam ſuſciperem tua gratia, & fauore effeciſti, tu ab inuidiorum morſibus facile vindicabis.

FRAN-

FRANCISCI LECHARRON PARISINI ORATORIS AD SVMMVM PONTIFICEM REGII.

ORATIO.

EA rerum humanarum conditio, ac ſors eſt (Beatiſſime Pater) ea leuitas, & inconſtantia, vt nemini vnquam diu ſolidum reliquerit gaudium ita lætis triſtia, dulcibus amara, ſerenis nubila, admiſcet diuina prouidentia. Non paruo antea lætitiæ flumine perfuſa erat Francia, cum maximo totius Reip. Chriſtianæ damno, Optimus Inuictiſſimus, clemētiſſimuſq; Rex nobis ereptus eſt, vt quanta tibi Summo Pontifici paulo ante gratulandi oblata erat occaſio, tanta poſtea è morte illius acerbiſſima mœrendi fuit. Nec certum erat in tanto, & tam miſero Regni caſu Rex ne ac Regina Mater optima, & ſapientiſſima, qui tibi in ea dignitate conſtituto gratularentur, an in tanto luctu, ac mœrore à te peterent medicinam, legarent. Illienſes quondam ad Neronem legatos miſerunt, ſed ſerò admodum qui de morte Matris eum conſolarentur. At non vereor, vt tibi ad Eccleſiæ Catholicæ nauis gubernacula diuinitus admoto hæc Regis noſtri Chriſtianiſsimi ſera nimis gratulatio, & minus grata videri poſſit. Verum ſi mihi cui dicendi partes in hoc ampliſſimo ſanctiſſimoque purpuratorum Patrum

conſeſſu à Rege Chriſtianiſſimo iniunctæ ſunt, aurium tuarum vſuram per ſemihoræ curriculum commodaueris, perficiam Deo dante, vt hæc quæ breuiter dicturus ſum non iniucunda ad aures ſanctitatis tuæ accidiſſe iudicentur. Ac primum quidem vt noſtra indè proficiſcatur oratio, ad cuius aures quam ad Regis noſtri Ludouici, (ad cuius fauſtum nomen omnes boni exultant) iucundior lætitiæ nuntius accidere potuit? quam te Paulum Quintum Eccleſiæ Rectorem, Chriſti Domini in terris Vicarium, Diui Petri legitimum ſucceſſorem, orbi Chriſtiano ſummis omnium bonorum votis Summum Pontificem obtigiſſe? diem illum, illum inquam diem, non Italia modo, non Francia, non Hiſpania, non Germania, ſed cuncta Europa, Africa, Aſia, & America, fauſtis fœlicibuſque ominibus proſecutæ omnibus alijs gratulationibus iure anteponunt. Quæ gratulatio Regis noſtri ſi ſerior fortaſſe, quàm par eſt videri poſſit, nullis tamen eorum, qui tibi pedes oſculati ſunt, (B.P.) gratulationibus concedit. Accedit quod ſera gratulatio (ſi ſera appellanda eſt) reprehendi non ſolet, præſertim ſi nulla culpa non dicam prætermiſſa, ſed ad tempus tantum magno Reginæ Matris, & Regis noſtri Chriſtianiſſimi parente ſuo Rege Inuictiſsimo longèq. optimo orbi mœrore, ac luctu intermiſſa fuit. Cuius tanti Regis interitu, quantum vulnus res Francorum acceperit dici à me in hoc tanto ſummorum virorum conſeſſu, ſine magna lacrymarum vi nō poſſet. Quo enim animo Reginā Matrem fuiſſe putatis (patres ampliſſimi) quæ cum pridie in templo Beati Dionyſij more maiorum præſente viro ſuo ac Domino Henrico IIII. Rege Chriſtianiſsimo, inuictiſsimoq. cuius virtus, & fama orbem terrarum compleuerat inſpectantibus omnibus Regni ordinibus ſumma totius Franciæ lætitia, diademate ab Illuſtriſs. Cardinali Iouienſi inſignita fuerat, poſtero die tanti triumphi gratulationem

nem omnemq. illam, quam animo hauſerat pridie lætitiam, & ſolemni in Vrbem Pariſiorum ingreſſu proximo die Dominico hauſtura erat in maximum acerbiſsimumq. luctum, ac lacrymas verſam fuiſſe? horret animus,& vel ſola recogitatione refugit, mirati ſunt omnes quemadmodum tanto, ac tam repentino, tamq; graui fortunæ aduerſæ icta telo mortua non conciderit. O regum ſortem miſeram, & deflendam, ò rerum caducarum leuitatem, & inconſtantiam, ò fortunæ fallacem vultum quæ (ſi fas eſt dicere) ſumma imis, læta triſtibus, triumphorum lætitiam luctuoſiſsimis funeribus vertit! At Deus Opt. Max. Viduarum, ac pupillorum tutor vnicus nunquam in aduerſis deeſt, dùm vulnerat, ſanat, dum affligit, erigit, dum mœrore afficit conſolatur. Et ſanè niſi in tanto caſu, & tam repentino Galliæ vulnere, & Deus verè medicus,& Maria Medicea Regis noſtri Mater Regniq. grauiſsimè ſauciati, velut altera medica affuiſſent ipſa ſi cupiuiſſet ſalus Regnum Frãciæ Sedi Apoſtolicæ addictiſsimum ſeruare non potuiſſet. Ex his ni me animus fallit (Patres ampliſs.) nõ obſcurè intelligitis, qui dolor, qui luctus, ac mœreor, gratulationẽ hanc noſtram in hunc vſq; diem remorata ſint. Et quis iure reprehendat? ſi quod alij Reges, ac Principes Catholici iam antè præſtiterunt, Rex noſter Chriſtianiſsimus ſumma modo alacritate,& erga Sedem Apoſtolicam, vt pium Eccleſiæ filium decet ſumma obſeruantia, & cultu præſtat? Amplexus non ita pridem Clemens Octauus ſumma clementia & lenitate Pontifex, Henricum piæ memoriæ Quartum, nondum nomine tunc, ſed virtute, ac rebus præclarè geſtis Magnum, Ludouici noſtri tertij decimi parentem optimum, dominumq. amplexus inquam eſt, & pro Eccleſiæ filio obſequentiſsimo agnouit. Tu Paule Pontifex Optime, & Maxime Ludouicum Regem noſtrum qui tibi omnia ſua ſubmittit, te parentem com-

munem agnoſcit,qui per Legatum ſuum quem hic præſentẽ vides ſacroſanctis tuis pedibus aduoluitur,nõ amplecteris? Orat te hoc Regina Mater ſapientiſsima de cuius admirabili in adminiſtrando Regno, prudentia,ac fortitudine ſi velim pro dignitate dicere, dies profectò me,& vox deficiat, orat te (Beatiſs. Pater) Rex noſter Chriſtianiſsimus per Legatum ſuum Illuſtriſs.Principem Alexandrum Vindocinenſem, rebus maximis gerendis natum,Equitem generoſiſsimum, quem ob eximias animi dotes, quæ in eo tanquam gemmæ pulcherrimæ reſplendent. Rex eximiè ſemper dilexit,qua verò pietate, quo animo, ac ſtudio erga Sedem Apoſtolicam, & religionem Catholicam ſit,ſatis docuit ab hinc annis aliquot quibus pro Chriſto, & eius ſponſa Eccleſia contra rabiem immaniſsimi Turcarum Tiranni ſtrenuè fortiterq. pugnauit,& quotieſcunque res Chriſtiana flagitauerit pugnando vitam, ſanguinemq. ſuum æquiſsimo animo profundet,quæ enim palma nobilior?quæ adorea? quæ corona magis expetenda? quam quæ pro Dei gloria, & honore, pro Eccleſiæ Matris noſtræ ſanctiſsimæ certando,dimicandoq. paritur? Vtinam hoc reges omnes Eccleſiæ filij,vtinam Principes omnes, ac dynaſtæ, qui in Chriſti militiam nomen dederunt, probe intelligerent, Turcarum barbaries minus crudeliter in Chriſtianorum ceruices graſſaretur. At quod maximè dolendum eſt nos miſeri diſſentionibus noſtris vberrimam triumphorum ſegetem hoſtibus Eccleſiæ præparamus. Indicta nuper à Rege noſtro ad ædem Beatæ Virginis ſupplicatio publica,in qua omnium ordinum Regni homines comitiorum celebrãdorum cauſa Deo Opt. Max. gratulatum longo ordine incedebant, erat in ea ſupplicatione Rex noſter, & Regina Mater, erat ampliſsimus Senatorum ordo, erant Equites,erat plebs, procedebat magna cum pompa Pariſiorum florẽtiſsima Academia,

in ea

in ea iuris Pontificij,medicæ facultatis,artiumq. profeſſores innumerabiles, & Sac. Theol. Doctres ſapientiſſimos vidiſſetis, vidiſſetis inquam Clerum Galliæ vniuerſum,Eccleſiæ Patres quamplurimos, Abbates, Epiſcopos,Archiepiſcopos, Cardinales, tanta cum dignitate, ac veneratione;incedentes,vt omnes ex toto orbe terræ Eccleſiæ Principes vnũ in locum iudicaſſetis confluxiſſe. At quorſum ea ad ædem Beatæ Virginis ſupplicatio? quorſum publica iſta lætitia, & gratulatio? quorſum? niſi vt Deus Opt. Max. mentem bonam conſiliumq. ſaluberrimum nobis, qui in ijs comitijs de ſumma rerum Galliæ, eiuſque priſtina dignitate reciperanda liberaturi eramus,immitteret?Nihil enim Regi noſtro Reginæq. Matri ſapientiſsimæ, ac pientiſsimæ, tam in votis eſt, quam vt Regnum Galliæ longè pulcherrimum, florentiſsimum, religioni, atque auitæ pietati,Sediq. Apoſtolicæ deuotum, ad ſpeciem ſplendoremq. priſtinæ maieſtatis pietatiſq. reuireſcat,quæ enim in terris Regio pulchrior Francia? quæ humanior? quæ religioni,ac pietati addictior? Turcæ Ormuſium Regnum in Perſia ſitum, ita laudant, vt ſi mundus annulus eſſet Ormuſium eius gemmam fore credant. Verius ni fallor(Patres ampliſs.) de Francia noſtra hoc liceret vſurpare. Sed mitto hæc, quandoquidem ad alia maiora temporis ad dicendum dati nos vocet anguſtia. Regina mater,quæ omnes curas cogitationeſq. eo refert,vt Regnũ Galliæ ab iniurijs hoſtium munitum ſit,vt ſumma inter Ciues concordia,ſummum otium, & pax exiſtat nullum non lapidem mouet, cuius ſumma prudentia, ac pietas, vel inde perſpici cognoſcique clarè poteſt, quod in tam miſero Regis Chriſtianiſsimi caſu ſæuas omnes patriæ diſcordiarum ſæditionumq. procellas ſedarit. Quod quo facilius efficeret ad eam rem non paruo vſui,& adiumento fuit Illuſtriſſimus Sedis Apoſtolicæ Nuntius Robertus Vbaldinus Politia-

litianorum Epiſcopus,qui afflictam Reginam,& conſilijs optimis,& conſolando plurimum adiuuit. Præclara verò in tanto Principis caſu enituit ſapientiſſimorum virorum opera quos Rex dum viueret, vt acri præditus erat iudicio, tanquam Næſtoras in conſilio ſuo ſemper habebat, ſed neque principum virorum, neque Illuſtriſſimorum Ducum in tanta rerum varietate defuit animi præſentia,& conſilium, qui omnes ne quid res Francorum caperet detrimenti coniunctis animis, viribuſq; ad eius ſalutem dignitatemq. tuendam incubuerunt,de quorum egregijs diuiniſq. virtutibus plura dicerem,niſi timerem ne tam eximiæ virtutes culpa ingenij noſtri detererētur. At maxima in hac re Laus(B.P.)tua eſt, qui oculos paternæ pietatis à Regno pulcherrimo nunquam deflexiſti: qui Regem noſtrum dū Sacro Baptiſmatis fonte ablueretur, & Chriſto, & Eccleſiæ renaſceretur per Illuſtriſs. Cardinalem Iouienſem ſuſcepiſti. Quid dicam, quod tu geminas inter Galliam, & Hiſpaniam confeciſti nuptias? Quod duos inter ſe arctiſſimo,& pacis,& nuptiarum vinculo potentiſſimos Reges conſtrinxeris? pro ea re non quas debet, ſed quas poteſt gratias tibi agit meo ore maximas cuncta Gallia,ex qua re quantā cœperint omnes boni lætitiam ſatis patuit cum toto triduo maximi, & nunquam antea ſimiles viſi triumphi in Vrbe ſpectarentur. Ex hoc nuptiarū fœdere magna quies, & otium in Europa ſperādum eſt, vt iam excitati nuper belli in Italiæ partibus exitus demonſtrauit: nam ſi Francorum lilia cum Hiſpanorum robore tandem aliquando conſentiant nihil deinceps ab immaniſſimo Turca erit metuendum, ſummam verò in Rege noſtro ſpem boni omnes poſitam eſſe cernūt,quod à B.Ludouico non nomen modo mutuatus ſit,ſed eximias omnes animi dotes,virtuteſq. regias quaſi iure hæreditario acceperit: quamquam quid attinet, tam procul ex ſemine auorum hæc

ar-

arceſſere? quis Henrico magno Regum poſt conſtitutum imperium in Francia, aut Iuſtitia, aut inuicti animi magnitudine, aut clementia, aut vllo genere laudis præſtantior? qui niſi per ſummum ſcœlus nobis ereptus fuiſſet, non Franciam modo, ſed cunctam Europam, & ſi vultis Aſiam, monſtris omnibus, & Turcarum immanitate liberaturus videbatur. Is moriens Ludouicum nobis reliquit decimum tertium in quo non obſcuri paternæ virtutis, ac pietatis igniculi elucent, fortes (vt ait ille) creantur fortibus, & bonis, hæc vna in rebus afflictis, ac penè perditis nobis fuit conſolatio, quòd Ludouicum, & nomine, & re pium orbi Chriſtiano reliquerit, quem ſi Deus Opt. Max. diu ſaluum nobis, & incolumem, vt ſperamus, & optamus ſeruet magno Reip. Chriſtianæ, & Sedis Apoſtolicæ tuendæ amplificandæq. bono, natum eſſe comperiemus. Pietatis erga Deum ſuæ clariſſimo omnibus præit exemplo, nam & ante Ferias Paſchatis pedes templa Religioſorum adibat, Dei verbum ex ore concionantium magna cum attentione, & voluptate excipit, multa Monaſteria, & in Regno, & extra Regnum liberaliter extruenda curat: nihil niſi quod alto animo, & tanto Rege dignum eſt cogitat: vitiorũ ſordes cane peius, & angue odit, eas à natura excellentes ingenij dotes accepit Rex noſter, vt etiam ex vultu hominum inditas virtutes facillimè conijciat, eoſq. (vt virtutis amator, & admirator eſt,) ſummo amore, ac beneuolentia complectitur. hanc tam eximiam ingenij vim, hoc tam acre iudicium, partim excellenti, & diuinæ naturæ ſuæ, partim Reginæ Matri accepta fert, à qua diligentius ad omnem virtutem, ac pietatem, & de omni hominum genere benè merẽdum quam Tyberius olim Gracchus à matre Cornelia ad benè dicendum eſt educatus. Teſtis harum rerum, quæ dixi locupletiſsimus vir clariſſimus Franciſcus Marchio Trenellius ex nobiliſſima antiquiſſimaq. Vrſino-

rum

rum familia, qui clariſſimo viro, ac Domino Breuio in hoc ad te Legationis munere obeundo ſucceſſit. Teſtis inquam clariſſimus nobiliſſimuſq. Marchio cuius Pater Regis Henrici Tertij in Inſula Franciæ Vicarius ad Tribuni militaris officium expectatus fructum tanti honoris, ac muneris Regio beneficio percepit, & quinquaginta equitum catafractorum turmæ Præfectus, & pace, & bello ampliſſima ſtipendia, ac præmia tulit, Patre defuncto, Rex Henricus omnia parentis eius munia, curaſq. belli adoleſcenti qui vix dum ex ephœbis exceſſerat, mandauit, & quatuor equitum expeditorum alis Præfectus, tam poſteà ſpectatæ virtutis vir, vt eum Rex à latere ſuo nunquam voluerit diſcedere, hic ore ſuo tibi, vt & Illuſtriſs. Princeps Alexander Vindocinenſis eques fortiſſimus, omnia bona, & proſpera de Rege noſtro Chriſtianiſſimo promittunt, ac ſpondent. Per hos Ludouicus Rex noſter (Beatiſs. Pater) tibi cunctæq. Eccleſiæ de tuo Pontificatu gratulatur. Tibi vt Eccleſiæ vniuerſæ capiti, vt Apoſtolorum Principis ſucceſſori legitimo, vt humani generis Saluatoris Ieſu Chriſti in terris Vicario, omne ſtudium ſuum defert, ſuorumq. Regnorum Gallici, & Nauarræi pollicetur præſidia, ac vt pium Eccleſię filium, Regemq. Chriſtianiſſimum decet, expeditam, & alacrem verè, & ex animo *Tibi præſtat obedientiam*, Te verò Paule Pont. Max. orat, & obteſtatur per acerbiſſima Redemptoris vulnera, vt quemadmodum ille, Te Patrem Eccleſiæ vniuerſæ colit, ac veneratur, ſic tu eum vt filium Eccleſię primogenitum; Regemq. Chriſtianę Fidei tuendæ natum obuijs quod aiunt vlnis amplecti, amare, ac tueri, vt chariſſimum filium velis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE